naturae pudenda sed ornamenta donavit, cum libidinum volutabrum commu-
tatur in dei templum, diversorumque vitiorum sacrarium incipit esse virtutum. Quod u-
tique tunc fit cum caro in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem,
atque ausu deposito contumaciae moderantis animae coniugatur arbitrio,
qualis fuit cum inhabitanda paradysi secreta suscepit, antequam ve-
neno pestiferi serpentis infecta sacrilegam famem sciret, divinorum-
que memoriam praeceptorum animae sensibus inhaerentem edacitatis studio
praeteriret. Hinc peccatum manasse perhibetur tamquam corpore animaque ge-
nitoribus, dum corporis natura temptatur, anima male sana compatitur. Quae
si appetentiam corporis refrenasset, in ipso ortu esset extincta origo
peccati; quae velut virili infusam corporis motu male feta anima ꝯ
sui vigore corrupto alienis malis oneribus parturivit. Etenim
ille violentior et fortior sexus quodam valido impetu velut vi-
rilis fertur affectus, haec molliore quam vehementiore studet tenere ra-
tione. Ex his itaque diversarum cupiditatum motus adolevit. Sed ubi in
se anima redit, deformis partus pudore convicta degeneres
abiurat heredes, abdicans motus exosa peccatum. Caro quoque gra-
vium laborum defenerata sorte et usura iniuriae miserabilis fati-
gata, vel se cupiditatibus suis quas ipsa generavit tamquam fetibus
mundi doluit esse confixam, veterem hominem festinat exuere ut
se sibi auferat, ne impudica parentem successio peritura destituat.
Rursus cupiditatum irrationabilis motus quasi cuiusdam formae decore
fucato voluptatis lenociniis illectus eam sibi tamquam in usum societatis
asciuit, ita velut quaedam corporis atque animae nurus voluptas mo-
tui pravae cupiditatis innubit. Ergo quamdiu mansit in una do-
mo conspirantibus vitiis individua inseparabilisque consensio, nulla
videbatur esse divisio. Ubi vero Christus ignem quo delicta cordis exureret
vel gladium qui significat exsertae aciem potestatis, quo spiritus medulla-
rumque secreta penetrantur, misit intrans, tunc caro atque anima re-
generationis innovata mysteriis, oblita quod erat, incipit esse

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 226 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/226)